



# Diatribae historico-juridicae

de

remedii appellationis

contra

Amplissimi Senatus Dorpatensis

decreta

olim interponendi indole ac forma.

---

Edidit

Dr. Guil. de Hezel,  
Univ. Caes. Dorp. Syndicus.



---

Dorpati Livonorum,

typis J. Ch. Schünmanni.

MDCCCXIV.

Ist zum Druck erlaubt worden.

Friedrich Lampe,  
Censor.

Viro Illustrissimo Doctissimoque,

Nominis in Republica literaria  
celebratissimi,

Friderico de Klinger,

Ex Supremis belli legatis Potentissimi Ruthenia-  
rum Imperatoris, Caesareae cohortis juvenum  
nobilium ad bellum instituendorum Praesuli.

Literarum Universitatis Dorpatensis Curatori,

Ordinis S. Annae primae Classis  
plurimumque Equiti

D. D. D.

Auctor.

## Ad Lectorem.

Non sine magna voluptate me per biennium Syndici Civitatis Dorpatensis et membri Senatus Amplissimi partes sustinuisse memini. Praesidem, et jurisscientiae et humanitatis laude aequè commendabilem, collegas probos et amicissimos invenire mihi contigit, quod grato animo palam fateri nullus haesito. Alia insuper oblectamenti aderat ratio. In civitatis tabulario, curae meae olim commisso, tantam documentorum, historiam et jura Livoniae, praecipue civitatis constitutionem ejusque fata illustrantium, copiam deprehendi, ut, si qua gravioris momenti essent, publici juris facta, lucrum haud exiguum juris Livonici

cultoribus adlatura esse existimarem. Primo itaque loco collectiones Cel. Wybers et Sahmen attento animo perlegere et notatu digna quae fuerint transcribere, deinde protocolla vetera exactius perlustrare statui, quum multa in iis reperirem, vel a solerte seduloque Gadebusch plane praetermissa. Sed negotia varia obstabant, praecipue muneris olim mihi oblato, cum eo, ad quod jam ante aliquot annos accedere visum est, permutatio. Nihilo secius tamen excerpta quaedam in scriniis latent, quorum specimen de indole ac forma remedii appellationis contra Senatus Dorpatensis decreta olim interponendi, lectoribus jam offero. Quod ut benevole accipiant et conatibus meis annuere pergant, enixe rogo. Dabam Dorpati, Cal. Aug. 1814.

---

§. 1.

Jus statutarium Rigense per omnes Livoniae et Curoniae civitates, et medio aevo viguisse, et ad haec usque tempora vigere, nemo est, qui ignoret. Nec mirum. Civitas enim Rigensis, et antiquissima et opulentissima, (quod mercaturae beneficio valde lucraretur, nec non in sempiterna Archiepiscopi Rigensis et ordinis Teutonici lite sapienter tempori serviens, saepe litem stricto gladio dirimeret), per leges statutarias, quarum fata alibi investigantur <sup>a)</sup>, ita inclaruit, ut earum usus,

---

a) Vid. Versuch einer Geschichte der rigischen Stadtrechte, in: Friedr. Konr. Gadebusch's Versuchen in der liefländischen Geschichtskunde und Gelehrsamkeit. Riga 1785, tom. 2. no. 3.

beneficii instar, caeteris civitatibus paullatim concederetur b). In quarum serie

---

b) Prima civitatum, jure statutario Rigensi donata, monumentis literariis, quae adhuc exstant vel certe innotuerunt, testibus, est *Hasenpöth*. E privilegio, quo civitati laudatae hoc beneficium largitur *Otto Episcopus*, nihilominus apparet, civitates *Windau* et *Goldingen* jam antea eodem gavisas fuisse. (*Ziegenhorn* in: *Staatsrecht der Herzogth. Kurland und Semgallen*; app. No. 13). A. 1559 *Gottbartus Kettler*, ultimus ordinis teutonici per *Livoniam* magister, civitati *Windau* usum juris Rigensis confirmavit (*Ziegenhorn* in app. No. 44). Praeterea *Fridericus, Curoniae dux*, d. 18. Mart. 1625 civitatem *Libau* pari beneficio ornavit. Verba, quibus utitur, digna sunt, quae huc referantur: „No. 2. Gönnen und geben Wir ihnen das Rigische Recht, inmaassen dasselbe in allen Unsern Städten Unseres Fürstenthums erhalten wird.“ (*Ziegenhorn* in app. No. 118). Ad *Livoniae* civitates quod attinet, *Pernavia* d. 15. Nov. 1318 (*Sammlung russischer Geschichten* Bd. 9. pag. 327. 439) *Wolmaria* et *Wenda* a. 1561 jure Rigensi donatae; haec quidem privilegio repetito d. d. 7. Dec. 1582 (*Ziegenhorn* in app. No. 84). *Arensburgium* per privil. d. d.

beneficii instar, caeteris civitatibus paullatim concederetur b). In quarum serie

---

b) Prima civitatum, jure statutario Rigensi donata, monumentis literariis, quae adhuc exstant vel certe innotuerunt, testibus, est Hasenpöth. E privilegio, quo civitati laudatae hoc beneficium largitur Otto Episcopus, nihilominus apparet, civitates Windau et Goldingen jam antea eodem gavisas fuisse. (Ziegenhorn in: Staatsrecht der Herzogth. Kurland und Semgallen; app. No. 13). A. 1559 Gotthartus Kettler, ultimus ordinis teutonici per Livoniam magister, civitati Windau usum juris Rigensis confirmavit (Ziegenhorn in app. No. 44). Praeterea Fridericus, Curoniae dux, d. 18. Mart. 1625 civitatem Libau pari beneficio ornavit. Verba, quibus utitur, digna sunt, quae huc referantur: „No. 2. Gönner und geben Wir ihnen das Rigische Recht, inmaassen dasselbe in allen Unsern Städten Unseres Fürstenthums erhalten wird.“ (Ziegenhorn in app. No. 118). Ad Livoniae civitates quod attinet, Pernavia d. 15. Nov. 1318 (Sammlung russischer Geschichten Bd. 9. pag. 327. 439) Wolmaria et Wenda a. 1561 jure Rigensi donatae; haec quidem privilegio repetito d. d. 7. Dec. 1582 (Ziegenhorn in app. No. 84). Arensburgium per privil. d. d.



Dorpatum eminet, quamvis annus, quo jure laudato uti coeperit, determinari nequeat, nec nisi literae ad senatum Lubecensem d. a. 1477 exstent; quibus causam, senatus Dorpatensis curae commendatam, secundum jus Rigense, „quo utatur,“ dijudicatam esse nunciat c). Sed propius jam adeunda res est.

In jure illo laudato nullibi de appellationibus a Senatus decretis ullum inveni-

8. Maj. 1563 nec non 19. Dec. 1574 ceteris civitatibus aequiparatum (die gegenwärtige Verfassung der Rig. und Revalschen Statthaltersch. v. Hupel, Riga 1789, pag. 272). *Gedeminus*, Lithuaniae rex, omnibus peregrinis sedem fixam in regno suo electuris, juris Rigensis usum concessit, (Dreyeri Specim. jur. publ. Lubec. p. 183. 304).

c) „na Rigeschem Rechte, des wi uns gebrucken.“ Dreyers Einleitung zu den Lübeckischen Verordnungen pag. 233. not. 5. — Arndts liefländische Chronik Th. 2. pag. 239.

tur praeceptum. Propterea operae pretium erit, disquirere, ad quem a Senatus Dorpatensis decreto appellandum fuerit, quomodo et quando appellare non liceat.

§. 2.

Civitatibus, quae jure Rigensi utuntur, iudicium inferius et superius concessum est. Illud praetorium d) audit, hoc constituunt omnia Senatus membra, exceptis praetorii adessoribus. Ab illius sententia ad hoc appellari oportuisse, hodieque oportere liquet e). Sed dantur causae, in secunda, quam vocant, instantia, ommissa prima, ventilandae f); dantur

---

d) Equidem non ignoro, quae in Stat. Rig. (recus. Rigae 1798) lib. II. cap. I. §. 4. praecepta sint; sed iam praetereunda, tanquam a scopo meo aliena.

e) Stat. Rig. lib. II. c. I. §. I. c. 28. §. I.

f) Stat. Rig. lib. II. c. 3. §. I.

partes, decretum, vel in prima, vel secunda instantia a pleno magistratus conventu latum, impugnaturae. Hinc recte quaeritur: Ad quem iudicem superiorem iis fuerit appellandum? Erat quidem episcopus Dorpatensis, sed a regimine civitatis interiori plane remotus; itidem magister equitum teutonicorum, solarum expeditionum bellicarum director g). Itaque ad magistratum Rigensem h) „an die Ehr-

---

g) Scriptores rerum livonicar.

h) Gadebusch's Versuche Bd. 2. No. 3. pag. 245. Protocoll. Senat. Dorp. d. d. 10. Mart. 1554 cujus verba sic se habent: „Nach abgelesener Sentence bedankte sich der beklagte Theil derselbigen, der Kläger aber nach vergönntem Bespruch appellirte an die Ehrbarn von Riga, legte in einen gulden Bing zum Urtheilspfand als bräuchlich und ward die Appellation zugelassen.“ Protoc. d. d. 28. Apr. 1554: „Nach abgelesener Sentence thäte sich der Beklagte derselbigen bedanken, aber der Kläger appellirte alsofort an die Ehrbarn in Riga, legte ein

barn von Riga“ actorum autographis missis, causaque ab ipso denuo ventilata, dicebat sententiam idem, quae, unâ cum actis, magistratui unde remittebatur, qui, fasciculo in praesentia partium resignato, sententiam publicabat. Quomodo id factum fuerit, infra videbimus.

### §. 3.

Haud aliter sub Ruthenorum imperio res illa se habuit. In pacto enim, ab exercitus Ruthenorum praefecto, Petro Iwanowitsch Schuiski, de sibi reddenda urbe inito, art. 31. beneficium appellationis ad Senatum Rigensem disertis verbis confirmatum invenies i). Aliter omnino praeci-

---

zum Urtheilspfande ein gulden Ringschgen mit einem Steinichen eingefasst etc. etc.“

i) Arndts liefl. Chronik Th. 2. pag. 239: „Begehret ein Rath, dafs von ihren gesprochenen Urteeln die

piebant Poloni. Secundum pacis Kiverawahorcensis (d. d. 15. Jan. 1582) leges, etiam Dorpatum occuparunt (d. 21. Febr. ej. a.) et statim Capitaneatum, quem vocabant, instituerunt, a Stephano Rege Alberto Reczaisky oblatum <sup>k)</sup> et his quidem verbis:

„Capitaneatum nostrum Dorpatensem  
 „in Livonia cum integra et absoluta jurisdictione super omnes milites ejusdem arcis et civitatis nostrae, nec non  
 „super cives atque eos, qui per suburbium Dorpatense habitabunt, ad instar  
 „Capitanei Mariaeburgensis in Prussia  
 „exercenda etc.“

---

Appellation möge nach dem alten an die Stadt und den Rath zu Riga ergehen, sintemal sie ihr Recht aus den rigischen Rechten, so ihnen von Kaiser und Päbsten gegeben, urteln und sprechen.“

k) Integrum diploma regium d. d. 2. Aug. 1583 legitur in Coll. Salmeniana.

Sed Reczaisky laudatus potestate sibi concessa quum abuteretur, senatus de ejus vexationibus querelam ad comitia regni Poloniae deferre statuit, ubi privilegium (d. d. 7. Dec. 1582) quod plenam jurisdictionem ipsi reddidit, consecutus est. Et tunc temporis ad iudicium provinciale erat appellandum, cui et civitatis nostrae legati adsidebant l).

#### §. 4.

Verum enim vero Capitanei Dorpatenses iudicium superius exercere pergunt, ex eo praepriis tempore, quo civitas, cum arce et omnibus eo pertinentibus, Archiduci et Cancellario Joan. Zamoscie ad dies vitae fuerat donata m). Senatus tenaciter resistebat, nec nisi ad iudicium pro-

l) Vid. resolut. Commiss. reg. d. d. 10. Jul. 1599.

m) Mand. reg. d. d. 17. Jun. 1588.

vinciale appellationes deferri sivit n).  
**Mox** (d. 1. Jul. 1588) novum privilegium  
 a rege Siegismundo consequutus est, ubi  
 haec leguntur:

„Eximimus deinde eandem civitatem  
 „a jurisdictione praesidum judicumque  
 „terrestrium nostrorum; judicia quoque  
 „in ea ad rationem ejusdem juris Rigen-  
 „sis observari, similiterque judiciorum  
 „processum et appellationem ad tribu-  
 „nal provinciale devolvi volumus etc.“

Tandem aliquando jura Senatus Dorpa-  
 tensis jam certe firmata esse credideris.  
 Sed regis consilium iterata vice mutatum.  
**Mandato** enim, Varsoviae d. 4. Dec. 1596  
 signato, Senatus in causa appellationis  
 iterum Capitaneo subjicitur. Nihilominus  
 in decreto legatorum, qui super lites in-

---

n) Protoc. Senat. Dorp. d. d. 10. Nov. 1589 et 17.  
 Jul. 1598.

ter Capitaneum et Senatum exortas dijudicarent, quaestio: ad quem a Senatu esset appellandum? comitorum arbitrio relinquitur o). Interea civitas d. 27. Dec. 1600 violento impetu capta est a duce Carolo de Sudermannland, qui in privilegio d. d. 10. Jun. 1601 causas appellationis ad se ipsum, hoc est ad summum imperii tribunal, deferri jussit. (§. 9.)

#### §. 5.

Jam A. 1603 d. 13. Apr. civitate a Polonis victoribus recuperata, denuo incipiunt vexationes Capitaneorum, nec nisi civitate per Suecos a Polonorum jugo liberata (d. 26. Aug. 1625) desinunt. In privilegio d. d. 20. Aug. 1646 ab omni aliena jurisdictione eximitur p) et appellatio a Se-

o) Resolut. d. d. 10. Jul. 1599.

p) §. 2. laudati privilegii haec leguntur: „Zam



natus decretis ad summum provinciae dicasterium (Hofgericht), tunc temporis Dorpati constitutum, permittitur  $\varphi$ . A. 1656

---

andern bewilligen wir, daß unsere Stadt Dorpat befreiet sey von aller Jurisdiktion unserer Statthalter und Landrichter, wohl zu verstehen, daß Bürgermeister und Rath, sammt deren Land- und Gerichtsvögten, nebst andern constituirten Stadtuntergerichten, sollen bemächtigt seyn, die vorkommende und ihrer Jurisdiktion zustehende Sachen zu urtheilen, die ausgesprochene Urtheile zu exequiren, auch wenn Geldstrafen seyn und fallen können, dieselben zu des Gerichts Nutzen und Besten zu verwenden; sonsten, wenn einer von Adel auf der Stadt Grund in derselben Jurisdiktion delinquiret, denselben soll der Rath mögen apprehendiren und dem Statthalter aufs Schloß überantworten lassen.“

$\varphi$ ) §. 3.: „Zum dritten von der Stadt Obergerichte an Unser Königl. Hofgericht in Liefland soll keiner appelliren und berufen mögen, es sey denn die Sache zum wenigsten 500 Rthlr. S. M. werth, wie Wir desgleichen, alle Confusion der Gerichte zu verhüten, wollen verordnet haben, daß sowol Unser

civitatem Rutheni capiunt, sed 1661 pace Kardisiensi facta, Suecis reddunt. Quae per hoc quinquennium ordinata fuerint, nescimus. Neque est, quod doleamus! Civitate a Ruthenis iterum capta (1704), paulo post concremata fuit et plane deleta; incolis captivis in Rutheniam abductis. Hinc factum est, ut, urbe paullatim quodam modo restituta, demum a. 1719 Senatus instauraretur <sup>r)</sup>. Causae appellationis ad summum Circuli (?) iudicium (Oberlandgericht) Dorpati constitutum erant deferendae, donec hoc iudicio sublato te-

---

Hofgericht als Ober-Consistorium ecclesiasticum in Liefland aus der Stadts-Jurisdiktion keine andern Sachen, als die durch öffentlichen Beruf und Appellation zu ihnen kommen, annehmen sollen.“ — Cf. resol. reg. d. d. 21. Jan. 1696.

r) Gadebusch's liefländische Jahrbücher ad annum 1719.

nore privilegii d. a. 1646 summum provinciae tribunal iterum iudex proxime superior Senatus Dorpatensis evaderet.

§. 6.

Ad secundum speciminis nostri argumentum transeamus. Dispiciendum nobis erit, quomodo contra amplissimi Senatus Dorpatensis decreta appellandum fuerit, forte et indigitare ante juvabit, quid leges, quibus hodie utimur, Suecicae <sup>s)</sup>, praecipiant :

- 1) ut quaevis appellatio intra octiduum iudici a quo denunciatur;
- 2) gravamina sigillatim enumerentur et
- 3) numus appellatorius offeratur, quan-

---

s) Vid. Grundlinien des ordentlichen livländischen Civilprocesses (Riga 1812) §. 125. Adde, quod ad gravaminum enumerationem, spectat, sentent. summi dicast. liv. d. d. 7. Aug. 1775.

topere praecepta haec a moribus majorum aliena sint, jam eamus illustratum.

### §. 7.

Sententia a Senatu lata, a consule vel senatore primario, partibus litigantibus viva voce publicabatur. Interdum antea rogati, an remedio appellationis usuri essent, negantes, in signum confirmandi promissi manum consuli dare solebant. Sententiam approbantis tunc erat, iudicibus gratias agere; sin autem remedio appellationis uti maluerit, statim t)

---

1) „Supra (§. 2. not. h.) allatis hic addere libet, quae in protocollo d. d. 28. Nov. 1553 leguntur: „Nach abgelesener Sentence thäte Heinrich von Carpen sich derselben bedanken und Antonius Salter thäte davon ungewandten Fusses als bräuchlich appelliren, legte zum Urtheilspfande zwey Kreutzgulden etc.“ Item jus prov. et equestre liv. (edit. Bud-

hoc enunciare oportebat, verbis adeo generalibus, dummodo rem cujusdam pretii, „Urtheilspfand“ dictam, iudicio offerret. Inde apparet: 1) octiduum, intra quod per leges hodiernas sub poena desertae nunc appellare iubetur, apud nostrates plane olim ignotum fuisse et si victus haesitaret, an novo iudicio sibi experiendum esset, nec ne, atque prudentiores antea consulere optaret, venia ipsi a Senatu erat petenda <sup>u)</sup>. 2) Verba generalia ad appellationem rite interponendam suffecisse. Consentit jus Romanum, testibus Ulpiano <sup>v)</sup> et Macro <sup>w)</sup>, nec legislatores,

---

denbr.) cap. 124: „Welck man nicht ein ordel bescheldt althohandt, dat em antredt, moth stede bliven etc.“

u) Protoc. d. d. 10. Mart. 1554 (§. 2. not. h.)

v) l. 1. §. 4. ff. de appellat. l. 13. pr. h. t.: „Appellanti nihil obesse, quod in libellis, a qua parte sententiae appellaret, non significavit.“

w) l. 2. ff. de appell.

gravaminum enumerationem itidem sub poena desertae appellanti injungentes, defendere ausim. Quid, si sub sententiae publicationem advocatus victi defuerit? Alium sane consulit, sed rei, de qua agitur, plane ignarum. Octiduum, quod vel adversa parte consentiente non prorogatur, aliis negotiis praegravato ad perlegendam acta non sufficit; format itaque gravamina, vel erronea, vel superflua, vel clienti adeo nociva, quum, si causam appellandi certam dixerit, ab hoc recedere et aliam causam allegare ipsi non amplius liceat x). 3) Appellanti iudicio rem cujuscunque pretii debuisse offerre. Secundum consuetudinem offerri quidem solebat annulus aureus, sed pecunia quoque signata iudicio offerri poterat y).

---

x) Aliter jure romano. l. 3. §. 3. ff. de appell.

y) Vid. not. t.

Haec de Senatu. Ad praetorium iudicium („Richtevogete“) quod attinet, constitutione Reverendiss. Cardinalis Radziwil <sup>2)</sup> summa 12 grossor. polonor. ab appellante exigenda praecipitur, unde colligere licet, majorem antea summam iudicas saepius postulasse.

### §. 8.

Ultimum speciminis argumentum jam adgredimur: „Quando appellare omnino „non licuerit?“ Et primo quidem loco monendum est, vetera, quae exstant, jurisdictionis nostrae monumenta de eo, quod in iudicio praetorio observari solebat, plane silere, unde forte omnes causas in hoc foro ventilatas appellabiles fuisse, colligendum.

---

<sup>2)</sup> d. d. 29. Sept. 1589.

Nunc de Senatu videamus. Remedio appellationis uti non poterat, qui eidem renunciavit, (§. 7.) modo facultatem renunciandi et alienandi habuerit. Ad hunc unicum casum, ubi appellare non licebat, sub Polonorum regimine alius insuper accessit; summa enim appellabilis determinata erat 100 flor. polonor. <sup>aa)</sup>. Si objectum litis vel plane non aestimari potuerit (e. g. libertas hominis), recte appellatur. Sed fac, rem aliquam me vindicasse, quae secundum affectionis pretium summam appellabilem superet: an verum aut fictum pretium spectandum esse credideris? Equidem fictum spectandum esse nullus dubito. Sed et alia quaestio oritur, exemplo qualicunque illustranda. Debet tibi Titius quidam 90 flor. pol. usu-

---

<sup>aa)</sup> resol. Commiss. reg. d. d. 10. Jul. 1599.



ris per 15 annorum spatium non solutis. In jus vocas debitorem morosum; condemnatur. Facile patet; usuris cum sorte computatis, objectum litis summam 100 flor. longe excedere. An victi appellatio recipienda? Omnino; quum antiquam appellanti illimitatam libertatem nimium restringere nefas sit, nec accessorium, idque medio aevo odiosum quoddam bb), respicerent legislatores.

### §. 9.

Majorem Summam appellabilem determinarunt Sueci. Quamvis enim civitatis legati ad Carolum, ducem de Sudermannland, Revaliam missi inter alia ab eo peterent, ut in rebus minoris quam 100 flor. pol. pretii appellationem non concedi sta-

---

bb) Frid. Guil. Pestel Diss. fons errorum de odio usurarum legitimo. Rintel 1753.

tueret <sup>cc</sup>), attamen eas solummodo appellationes recipiendas esse jussit, ubi pretium objecti litis summam 100 thal. superet <sup>dd</sup>). Quam quidem gratiam a Carolo, duce, in civitatem nostram collatam eximiam fuisse, facile cognoscimus, quod Senatus Holmiensis, demum aliquot annis

---

cc) Petitio humillima d. d. 22. Maj. 1601 No. 4: „Die Stadt gebrauchet das Rigische Recht, wie denn auch vor Alters sie solches gebrauchet hat, und wird unter 100 fl. keine Appellation zugelassen. Die Appellation aber gehet an das Land-Tribunal, und wird der Procefs, item wegen Gerichtsunkosten und Strafen, auch sonst in allem gehalten, wie zu Riga.“

dd) Privilegium d. d. 10. Jun. 1601, ubi verba sequentia leguntur: „Wäre aber eine Sache über 100 Thaler, so soll die Appellation an Uns geschehen, und soll der Appellant (sich) innerhalb Jahr und Tag nach erlangten Akten, die ihm die Stadt unweigerlich mittheilen soll, an Uns verfügen und seine Appellation prosequiren.“

post, eodem ornaretur beneficio *ee*). Sed Poloni civitate nostra denuo potiti immutabant omnia et in statum pristinum reducebant. Civitate iterum liberata ad hunc usque diem Senatus privilegio utitur, summam appellabilem 300 Daleror. argent. constituyente, secundum verum valorem 150 thaleros Rigens. aequantem *ff*). Sed quum Dalerorum argenteorum apud nostrates non amplius sit usus, eorum loco in determinanda summa appellabili Rubelos

---

*ee*) Processus juris d. d. 23. Jun. 1615 §. 20. No. 1: — „Ut tamen in illis observetur ac procedatur, velut hic sequitur: nimirum ut causae appellatae a Judiciis provincialibus et Curialibus in Suecia et Finlandia non sint infra quinquaginta daleros; sed a Stocholmiae civitate non infra centum daleros“ — (Loccenius.)

*ff*) Vid. not. d. ad jus provinciale Suec. (L. L.) pag. 89.

Ruthenos substituere visum est. Utrum argenteos, an chartaceos? dubitatur; nec sententiam de ea re latam me invenire memini. Negari quidem nequit, rubelorum argenteorum usum nostra certe aetate esse rariorem, nec sportulas (excepto nummo appellatorio) in hoc monetae genere solvi. Quidquid est, mutatio haec Dalerorum Suecicorum in Rubelos eo tempore facta, quo pecunia chartacea plane ignorabatur gg); deinde monstrari nequit, an, et ex quo, per Senatus decretum haec nummis argenteis substituta sit; denique lex Suecica hh) sancit, eum, qui ad paupertatis beneficium adspirare studeat, se non 300 Daleror. argenteorum

---

gg) Const. imperialis d. d. 29. Dec. 1768.

hh) Vid. (nostr.) Grundlinien des ordentlichen livländischen Civilprocesses. (Riga 1812) §. 62.

pretium in bonis habere, juraturum, in qua juramenti formula secundum praxin indubitam 500 Rubeli argentei diserte nominantur.